

De

incipiat ubi est plena et perfecta leticia gaudium idest leticia quod nullus
timor deterret. Ibi datur nobis cernere regem nostrum ad patris de-
scendentem. ipse enim est dei filius. ipse mediator dei et hominum
qui mortuus est propter delicta nostra et resurrexit propter iustificatio-
nes nostras. hec ille. Idem christus pascha nostrum.

Pascha nostrum immolatus est christus. itaque epulemur in azi-
mis sinceritatis et veritatis. 1. Cor. 5. **¶** Nota quod
ille agnus typicus quem olim iudei cum azimis et lactuca
agrestibus comedebant pascha vocabatur. unde dicit discipuli ad ie-
sum Math. 26. Vbi vis paremus tibi comedere pascha. unde etiam
ihesus ait discipulis suis. Luc. 22. Desiderio desideravi haec pascha
manducare vobiscum antequam patiar. Nota etiam quod apostolus hoc loco pa-
scha appellat ipsum christum. Ipse enim verus est agnus qui abstulit pec-
cata mundi. Ipse est ille agnus quem in figura tunc obtulit iustus
abel sanctum sacrificium immaculatam hostiam. Ipse est agnus de quo di-
cit Ysa. 53. sicut ovis ad occisionem ducetur et quasi agnus coram ton-
dente se obmutescet et non aperiet os suum. Dicit igitur apostolus. Pascha
nostrum immolatus est christus. itaque epulemur in azimis sinceritatis
et veritatis. quantum ad dulcem affectionem et veritatis quantum ad
bonam operationem. Et nota quod olim ad esum agni typici multa requi-
rebantur que spiritualiter intellecta requiruntur etiam a nobis qui verum
agnum ipsum christum ab origine mundi occisum sacramentaliter manduca-
mus. Primum est quod mandatum fuit eis ut sumerent agnum absque ma-
cula masculinum anniculum. unde Exod. 12. Erit agnus absque macula
maculis anniculus pro quod innuebat quod non pro femina aliquo sed tamen pro
ipsum masculinum de immaculata virgine immaculate conceptum et na-
tum et sine omni macula tam originali quam actuali existentem saluare
nos oportet. propterea cum annus per duodecim menses labatur et men-
sis dicatur a mense quod est defectus. propterea agnus ille erat annicu-
lus. quod et christum oportuit suscipere duodecim defectus penalarum
nostrarum. Ipse enim vere esuriit et sitiuit. vere frigus patiebatur et estum
vere doluit et mortuus fuit. Secundum est quod alienigena non vescitur
ex eo. unde dicitur Exodi. 12. Nec est religio pharaonis. Omnis alienige-
na non comedat ex eo. pro hoc innuit quod illi qui per sententiam excom-
municationis quasi ethnici et publicani sequestrati sunt ab ecclesia et a fi-
delium consortio non debent accedere ad communionem et participationem sa-
cro sancti corporis ihesu christi. et si accesserint peccant mortaliter. Tertium
est quod oportuit eos circumcisos esse qui vescuntur ex eo. unde Exod. 12
Si quis circumcisus non fuerit non vescet ex eo. pro hoc innuit quod cor-
pus christi sumpturi circumcidere cor. linguam et manus debent
Cor ab odii et rancoris veneno. linguam a puerio et turpiloquio